

natus annos quatuordecim, panem propter Deum  
ipse ostiatim petens quaesivit, & paulo post, Isen-  
nacium sese conferens, ubi matris suae, matrone  
pientissima, & re & nomine Margarita, cogna-  
tos & affines haberet, idem fecit, donec anno eta-  
tis vicesimo in Academiam Erfordianam à Pa-  
rentibus mitteretur, ubi nactus sacrorum Biblio-  
rum latine scriptorum copiam, qua antea nun-  
quam viderat, toto pectore exoptavit, sibi tantum  
vite spacium à Deo concedi, quo librum hunc,  
plane dissimilem scholasticorum doctorum com-  
mentis, postillis, breuiariis, & similibus lacunis,  
perlegere, & rectè considerare posset. Ac etsi  
viri sui, si quisquam alius, compos factus est mi-  
rabiliter & successu incredibili, tamen, cum eo-  
dem tempore incidisset in morbum, quem letha-  
lem plane indicauerat, ferè de spe sua desperasset,  
nisi cuiusdam senioris ministri Ecclesiae, uoce &  
consolatione erectus, animum, & Deo adiutore,  
valetudinem pristinam recepisset & recuperasset.  
Ille enim, ceu vates quidam, mi Baccalaurie, in-  
quit, morbus iste te iam non conficiet, sed conua-  
lesces, & Deo uolente in Virum magnum euades,  
& multos ipse consolaberis, & ad veram viam &  
vitam reduces.

Conualescens igitur Lutherus, anno aetatis  
vicesimo secundo artium Magister creatus est.  
Et cum Satanas animaduerneret Spiritum, pie-  
tatem, & studium iuuenis, insidiatus est vita eius  
multis modis, confosso & interfecto quodam eius  
commili-